

SI UNUS EX PLURIBUS HEREDIBUS CREDITORIS
VEL DEBITORIS PARTEM SUAM DEBITI SOLVERIT VEL ACCEPERIT.

8.32.1

Impp. Valerianus et Gallienus AA. Tauro.

Manifesti et indubitati iuris est defuncto creditore multis relictis heredibus actionem quidem personalem inter eos ex lege duodecim tabularum dividi, pignus vero in solidum unicuique teneri.

D. XV k. Mai. ipsis IIII et III AA. consss.

[a. 257]

8.32.2

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Claudioe.

Actio quidem personalis inter heredes pro singulis portionibus quaesita scinditur, pignoris autem iure multis obligatis rebus, quas diversi possident, cum eius vindicatio non personam obliget, sed rem sequitur, qui possident tenentes non pro modo singularum substantiae conveniuntur, sed in solidum, ut vel totum debitum reddant vel eo quod detinent cedant.

S. V k. Nov. Anchiali CC. consss.

[a. 294]